



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

187 Idem, quod supra num. 180.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

remouent iudicibus omnem disputationem, & facultatem dicta verba Papæ, aliter quam sonent interpretandi, vel declarandi. *Parif. cons. 38. n. 4. cons. 41. n. 22. lib. 4. & Cassad. super reg. decis. 12. n. 5.* Pariterque irritum, & inane decernitur quidquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

187 † Quod decretum omnia in contrarium gesta, ipso jure annullat, ut *cap. si eo tempore, de elect. in 6. c. quodam, ubi etiam gloss. de preben. eod. lib.* Cassad. *de decret. in referu. decis. 3. n. 1.* & *Gomel. de trin. possess. quest. 49. n. 3.*

188 Quæ omnia prædicta † suum sortiri debent effectum, non obstantibus quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & quorumcunque Ordinum, religionum, & Institutorum, seu archiconfraternitatum, congregationum, & confraternitatum secularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, etiam maximo, & Bulla aurea nuncupatis, regularibus, Ordinibus, religionibus, Institutis, seu archiconfraternitatibus, congregationibus, & confraternitatibus secularium, eorumque Superioribus, & aliis quibuscunque personis, & quoscunque status, gradus, ordinis, conditionis, & præminentie existentibus, sub quibuscunque verborum formis, & tenoribus, ac derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & consistorialiter, & alias quomolibet in contrarium præ-

missorum etiam pluries concessis, & approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam ipsa illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales, idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret; illorum tenores, ac si ad verbum exprimerentur, & infererentur, pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habens, illis aliis in suo robore permanentibus ea vice duntaxat, specialiter, & expressè derogavit, ceterisque contrariis quibuscunque, ut *in eisdem litteris, §. non obstant, & dicta verba.*

189 Illorum tenores pro plene, & sufficienter expressis habentes in derogatione apposita operantur, ut totus tenor constitutionum, decretorum, privilegiorum, ac contrariorum omnium derogatorum habeantur pro expresso, ac, si specificè in eisdem *Clement. VIII. constitutione* totus tenor fuisset insertus. *Felyn. in c. nonnulli. n. 6. de rescript.* Butr. communiter receptus, *in cons. 2. colum. 2. ver. huius tamen non obstant.* Cassad. *decis. 10. num. 1. super reg. Cancell. & Gabr. commun. conclus. de claus. conclus. §. numer. 1. & 14. lib. 6.*

190 Primum enim † derogatur constitutionibus, & decretis in contrarium facientibus. Quia per constitutionem *Innocentii III. malitia hujus temporis, & cap. in Bull. Rom. cap. 11. §. ultra quos, pag. 13.* & *Clement. VII. il. litteris; cum, sicut in forma Brevis expeditis, in eodem Bull. cap. 33. §. & cum clericis, pag. 337.* de quibus supra, fuerat concessa facultas, cum